Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est: Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus gerendum, disposita

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica V. post trinit.

urn:nbn:de:bsz:31-126133

Visual Library

Sicut igitur univerſa natura de beneficentiâ prædicat, & omnes facultates ſuas homini communicat, ſic & nos munificentiæ operam demus, ut ſpreto Mammonâ cogitemus, Deum nos diſpenſatores terrenarum facultatum conſtituiſſe, ut easdem ad ejus voluntatem adminiſtremus, Luc.16.v.1. Sed & Dei voluntas eſt, ut proximo laboranti ſuccurramus, ejusque inopiam inde ſublevemus. Et quidni illud faceremus? cum non de noſtro ſed Dei benedictione idem erogemus, ut David confitetur, 1.Paral.29.v.14.

Hoc ſi agnoſcere nolimus, Deus aurum & argentum, frumentum, vinum & oleum ſuum ſumere poteſt, Oſ.2.v.9. ſicut de Sodomitis legimus, quod illis fuerit ſaturitas panis, & felicitas tranquillitatis: quia verò manum egeno & pauperi non porrexerunt, Ezech.16.v.50. Deus ſubvertit civitates regionis illius, & univerſam terram, Gen.19.v.25.

Optimum igitur erit, ut is, quem Deus terrenis opibus cumulavit, derivet in plateas rivulos aquarum, Prov.5.v.16.& neceſſitatibus Sanctorum communicet, Roman.13.v.13. Talis enim mutuò dat Domino, qui retributionem ſuam reddet ei, hîc & in æternum, Pſal.41.v.1.ſeqq. Bonum igitur facientes non defatigemur: tempore enim ſuo metemus non delaſſati, Pſal.41.v.1. ſeqq. nempè æternam gloriam & ſalutem, quam nobis DEUS ex gratiâ largiri dignetur, per & propter Chriſtum,

Amen.

DOMINICA V. POST TRINIT.

Evangelium Luc.5.v.1.-11.

EXORDIUM.

ISraelitas olim agnos anniculos immaculatos, duos quotidiè in holocauſtum ſempiternum Deo offerre oportuit, unum manè, & alterum ad veſperum, Num.28.v.4.

Hoc ipſo *myſticè* innuitur, quod non modò diem cum Deo inchoare, cumque eodem finire debeamus: ſed eo ipſo reſpicitur *labor vocationis noſtræ*, & omne propoſitum ſub Sole, ubi Dei auxilio, & adſiſtentiâ maximè opus eſt, ſi feliciter ſuccedere debeat. Cor enim hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt, dirigere greſſus ejus, Prov.16.v.9.

Inveniuntur homines temerarii, qui parùm de Deo & precibus ſoliciti ſunt, ſed quando manè evigilant & ſurgunt, illotis quaſi manibus ad operas vocationis tranſeunt, vel etiam talia perpetrant, quæ neque coràm Deo, nec honeſto mundo excuſare poſſunt, ideoque benedictione carent, & omnia quæ incipiunt, in maledictione ſunt, Mal.3.v.92.

Qui Deo dediti ſunt impietatem hujusmodi fugiant, omne, quodcunque faciunt, in verbo, aut in opere, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti facientes, Coloſ.3.v.17.

A Jove fac orſum, ne ſerpens det tibi
. morſum.

Dante enim illo colligimus: aperiente illo manum ſuam, ſatiamur bonis. Abſcondente autem illo faciem, turbabimur: auferet Spiritum noſtrum & deficiemus, & in pulverem noſtrum revertemur, Pſal. 104. v. 28. 29.

Eò quoque ablegat nos prælecta Pericope, quando Petrum rectè intuemur, qui profectò totam noctem fruſtrà laboraverat. Verùm ubi in verbo Chriſti laxavit rete, tàm copioſam concluſit piſcium multitudinem, ut ambas naviculas impleverit, ut prælecta hiſtoria teſtatur.

Videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegeſis.

MAgnus ille Dei amicus Moſes, ex experientiâ vitam humanam ita deſcripſit, quod nihil aliud illa ſit, quam *labor & dolor*, Pſal. 90. v. 11.

Id quod nemo omnium inficiabitur. In labore enim & dolore naſcimur, primam vocem emittimus plorantes, Sap. 7. v. 4. In labore & dolore vivimus, ſicut dies mercenarii ſunt dies noſtri, Job. 7. v. 1. in labore & dolore morimur, non enim cum riſu, duo illi amici, anima & corpus divelluntur; unde non immeritò mors amara dicitur, Sir. 41. v. 1.

Intuentes Petrum in prælectâ Pericope in eo quoque verificari videmus, quod Moſes de vita humana pronunciavit, per totam enim noctem cum navicula ſua in mari navigaverat, & hoc non ſine labore, fruſtraneo tamen. Deindè ubi concludit piſcium multitudinem copioſam, hæc fortuna annata eſt, ut rumpatur rete, & naviculæ ſubmergantur. Quin & in magnam animi perturbationem conjicitur, ratione peccatorum commiſſorum, ut Chriſto quaſi abjecto, dicat: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.

Querela reſpicit

I. *Vanum in acquirendo laborem*, de quo hîc Petrus conqueritur, inquiens: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Hæc antiqua illa cantilena eſt, quam hodietenus multi Patres familias in labore & dolore ingeminare coguntur. Tempora enim difficilia ſunt, & licet cum Petro totam noctem laboret, attamen nihil rete retinet, ita ut vix tantum comparare poſſit, quantum ad quotidianam ſuſtentationem opus eſt. Hinc nonnulli anſam arripiunt, nocte piſcari, h. e. variis technis uti, & undecunque etiam ex malo acquirunt, Sap. 15. v. 12. Verùm infelici cum ſucceſſu: technæ enim hujusmodi avolant in cœlum, Prov. 23. v. 4. & maledictionem poſt ſe trahunt, ut tandem panis mendacii impleat eorum os calculo, Prov. 20. v. 17.

Alii quidem in numerum impiorum referendi non ſunt, ſed frequentant templum, orationi vacant, & quæ Chriſtianos decet, faciunt, & tamen res familiaris eorum claudicat, ſicuti multi pauperes fuerunt, quorum tamen ſaluti id minimè obfuit, cauſam reddit Salomo, dicens: Dives & pauper obviaverunt ſibi, Prov. 22. v. 2.

Quandocunque igitur Deus cuidam divitias ſubtrahit, ex cauſſis, quas ille optimè novit, tunc fruſtrà laborat, currit & macerat ſe. Eccleſ. 9. v. 11.

Optimum proindè eſt, ut æquo id animo feras. Præcipuum vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus, tegens ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28. qui igitur ſua ſorte contentus eſt, magnus huic quæſtus eſt, 1. Tim. 6. v. 6.

Diogenes Cynicus mundi delicias adeò ſprevit, ut in dolio habitaverit. Aliquando Alexander M. adiit illum ante dolium ſedentem, qui cum offerret, ut quo indigeret à ſe peteret: nihil aliud ille rogavit, quàm ut è Sole ille diſcederet: cujus rei admiratio tantoperè cepit Alexandrum, ut dixerit, ni Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem. Hi gentiles fuerunt, & tamen è lumine naturæ id perſpexerunt, veram animi tranquillitatem cum divitiis & magnis opibus conſiſtere non poſſe, ſed unicè in *αὐταρκείᾳ*, ut contentus ſis præſentibus, Hebr. 13. v. 5. & terrena deſpicere diſcas. Omne quippe opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur ibit cum illo, Sir. 14. v. 20.

Quando igitur Deus labori tuo benedicit, gratias ei age, nec cura, licet invidentes tibi habeas:

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.
Deo dante nihil valet invidia,
Et non dante, nihil valet labor.

Quodſi verò diligentia & labor tuus fruſtranea ſunt, ut querelâ Petri uti cogaris: Per totam noctem laborantes nihil cepimus: cogites velim, nolle tibi Deum divitias largiri, idque expedire tibi. Eſt homo laborans & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit, Sir. 11. v. 11. 1. Tim. 6. v. 9. Dic igitur cum Eccleſia, Jeſu!

Nil pendo temporalia,
Dona modò cœleſtia,
Quæ tu paraſti mi:
Mortem ferens triſtiſſimam
Hæc ſpes levat moleſtiam.

II. *Multiplicem in retinendo angorem*, ſive dolorem. Verè enim dicitur:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Id quod nobis egregiè monſtratur in Petro, ejusque ſodalibus: illi ad verbum Chriſti concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: verùm præter omnem expectationem rumpebatur rete eorum, & licet provideant, ne piſces elabantur, ſed omnes in naviculas deferant: aliud tamen infortunium ſuboritur, dum umbæ naviculæ adeò implentur, ut merguntur. Ibi anxietas, cura & periculum eorum majus adhuc erat, ſiquidem hâc ratione non modò piſcium & naviculæ, ſed & vitæ jacturam facere potuiſſent.

Sic hodiè adhuc evenit, ut ſubindè panis quotidianus acquiratur, qui tamen non ſine curâ & ſolicitudine, metu & periculo conſervatur. Modò *rete rumpitur*, h. e. annona difficilis redditur; modò *navicula ſubmergitur*, hoc eſt, omnium fortunarum jactura imminere videtur, ut Jobi exemplum teſtatur, Job. 1. v. 13.

Experti id ſumus in ſuperiori bello, ubi omnia direptionibus expoſita fuerunt, quæ cives & ruſtici magno labore ſeminarunt atque plantarunt; nemo dicere potuit, mea hæc ſunt. Ex improviſo enim venerunt,

runt, qui auferendo abſtulerunt omnia à facie terræ, Soph. 1. v. 4. Ex improviſo miſit Deus ventilatores in horrea, Jer. 15. v. 2. mactatores in ſtabula, Jer. 46. v. 20. ſtratores in cellas, Jer. 48. v. 12. fures in domos, Joel. 2. v. 9. devoratores in cibaria, Mal. 3. v. 11. hi adeò depopularunt omnia in regione, ut merces hominum non eſſet, nec merces jumentorum eſſet, nec introeunti neque exeunti pax eſſet, præ tribulatione, Zach. 8. v. 10.

Jam cogitavit Dominus ſuper nos cogitationes pacis, Jer. 29. v. 11. ut nos habitare rurſus faciat, bonisque donet majoribus, quàm habuimus anteà, Ezech. 36. v. 11. Verùm caveamus vos mei! ne Deum denuò peccatis noſtris ad iram provocemus, ſecuritas magna eſt, tùm & obſtinatio, licet peccata reprehendantur, nemo eſt qui vitam emendet, fronte illi perfrictâ dicunt: Manda, remanda, manda, remanda, Eſ. 28. v. 10. ſermonem quem locutus es ad nos, in nomine Domini, non audiemus ex te, Jer. 44. v. 16. Quicunq; igitur nocet noceat adhuc, Apoc. 22, 11. Sanguis eorum ſit ſuper eis, ſermo, quem locutus ſum illis, ille judicabit eos in die noviſſimo, Joh. 12, 48.

III *Subitum conſcientiæ terrorem*, quo Petrus obrutus eſt. Ubi enim videt, Piſcium hanc capturam ſuprà naturam eſſe, dum rete rumpitur, & tamen piſces retinentur, naviculæ merguntur, nec tamen ſubmerguntur, ad genua Jeſu procidit, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Petrus præ animi conſternatione neſcit, quid dicat. Quia verò indignum ſe cenſet, qui cum Chriſto converſetur, ob peccata quorum ſibi conſcius erat, ex præcipitantia illum à ſe exire jubet, cum tamen ſatius fuiſſet, ut eum, quò ſecum maneret, invitaſſet, exemplo diſcipulorum Emaunticorum, Luc. 24. v. 29.

Cernimus hîc, quàm *tenera res conſcientia* ſit, quæ *diario* confertur, quod Deus cujuslibet cordi indidit, & quaſi inſculpſit, in eo ſcripta ſunt peccata ſtylo ferreo, in acuto Adamante exarata, ſuper tabulã cordis, ut deleri & exſtingui nunquam poſſint, Jer. 17. v. 1. & licet aliquamdiu ad oſtium cubent, Gen. 4. v. 7. attamen facilè inſtar canis ad januam dormientis excitari poſſunt: & tùm hominem in tantas anguſtias redigunt, ut multi cum Caino & Juda in deſperationem incidant.

Peccata enim reſpondent homini, Eſa. 59. v. 12. & licet quis peccata ſua verbis inficiari, vel quoad ſpeciem extenuare vel excuſare velit, attamen *conſcientia plus valet, quàm mille teſtes*, ut Quintilianus loquitur, cui refragari non poſſis. Non enim ſaltem indicat peccata, ſed & omnes circumſtantias, horam & momentum, quando, locum ubi, & modum quo patrata ſint, ut rectè Juvenalis dixerit:

Nocte dieq; ſuum geſtat ſub pectore teſtẽ.

Habetq; cauteriatam conſcientiam, in quâ non eſt requies, 1. Tim. 4. v. 2. hinc fit αὐτοκατάκριτος, Tit. 3. v. 11. Cor enim proprium condemnat ipſum, 1. Joh. 3. v. 20. quin & in perpetuo metu atque pavore verſatur, Pſal. 53. v. 6. Prov. 28. v. 1.

Inſerviat hoc *dehortationi noſtræ*, ne conſcientiam noſtrã peccatis mortalibus vulneremus, ut multi faciunt, non perpendentes, quàm tenera res cõſcientia ſit, & quam difficile ſedetur, ubi ſemel læſa eſt.

Quis neſcit exſecrationes & blaſphemias peccata contra ſecundum præceptum eſſe,

& tamen exſecrationum & blaſphemiarum modus non eſt: ubi conſcientia!

Quis neſcit contemtores verbi Dei & Sacramentorum ejus, rurſum contemtum iri? & tamen multi ultrà annum in hoc contemtu perſeverant: ubi conſcientia?

Quis neſcit ſcortatores & adulteros, licet occultiſſimi ſint, à Deo punitum & judicatum iri? Hebr. 13. v. 4. & terra tamen repleta eſt adulteris: ubi conſcientia?

Similis ratio omnium peccatorum eſt, ut principiò vilipendantur, at ubi conſcientia evigilat, & Diabolus ſuggeſtiones ſuas ei immittit, in montes degenerant peccata, ut ejusmodi homo conſilii expers, & corpore & anima Diabolo mancipetur.

Vis igitur tranquillè vivere & beatè mori, rationem habeto conſcientiæ: in omnibus actionibus tuis conſcientiâ utere pro lucernâ: hoc modò à peccatis immunis, habebis fidem & bonam conſcientiam, 1. Tim. 1. v. 18. ubi verò tranquilla conſcientia, ibi juge convivium eſt, Prov. 15. v. 15. & ejusmodi lætitia, in quâ gaudere poſſumus coràm Deo & hominibus, 2. Cor. 1. v. 12.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex Chriſti præconio.* Adſcendens enim in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, à terra reducere puſillum: & ſedens docebat de navicula turbas. Hoc ipſo ſatis probavit, ſe eſſe Prophetam magnum, Deut. 18. v. 15. item Præconem juſtitiæ, Joel 2. v. 23. qui ubique occaſionem arripuit, ut ignaros informaret, infirmos in fide confirmaret, & verbo: Salvaret, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Hoc inſervit *conſolationi*

1. *Paſtorum.* Pontificii ex contemtu nos prædicantes appellitant. Verùm hujus tituli non pudet nos, ſiquidem Chriſtus ipſe prædicavit. Pulchrum eſt cum Chriſto pati, non eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrum, Matth. 10. v. 24. Verùm ut ipſe per paſſiones intravit in gloriam ſuam, Luc. 24. v. 26. ſic & momentanea levitas tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Cor. 4. v. 17.

2. *Auditorum.* Quia enim Servator tanto ſtudio Evangelium prædicavit, facilè hinc colligere poſſumus, nolle ipſum mortem peccatoris, Ezech. 18. v. 23. ſed omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. v. 9. hinc & pro omnibus mortem guſtavit, Hebr. 2. v. 9. Col. 1. v. 20. Sic nemo hîc ſimpliciter reprobatus eſt, ſed, ex te tua perditio Iſrael, Oſe. 13. v. 13.

II. *Ex inſigni miraculo.* Poſtquam Petrus & reliqui Apoſtoli rete laxarunt, ad mandatum Chriſti, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, dum Servator piſces quaſi in rete propulit, iisdemque mandavit, ut ad capiendum ſe obtulerint, ſicut ipſi Pater cœleſtis non modò gentes dedit hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ, Pſal. 2. v. 8. ſed & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris, omnes imperio ejus ſubjecti ſunt, Pſal. 8. v. 19. ita ut facere poſſit, quæcunque velit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, Pſal. 135. v. 6.

O ter-

O terque quaterque beatos nos, qui ejuſmodi Domino gaudemus! Quando enim inter Scyllam & Charybdin navigamus, modò clamaverimus ad eum, nos auxilio ſuo non derelinquet, manus enim ejus abbreviata non eſt, Eſa. 50. v. 2. novitque multa media pios de tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

III. *Ex Petri alloquio*, ad quem ait: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens: q. d. Non eſt quod timeas, te hic ſubmergendum, & periturum. Ad majorem enim functionem adhibebo te. Hactenus in Galileæ mari, piſcaturâ victum tibi comparaſti: at propediem ablegabo te in magnum mundi mare, ubi homines capies. Hoc eſt: ſervus, præco, Apoſtolus & teſtis meus eris in univerſo mundo. Sic Petrus hîc conſilio & voluntate Chriſti è piſcatore fit Apoſtolus, è nauta concionator, è laico columna Eccleſiæ N. T. En, beatam & optatam permutationem!

Hunc morem adhuc hodiè Servator cum Eccleſia ſua obſervat. Sæpè derelictus aliquis orphanus in juventute ſuâ panem propter Deum petit, rete rumpitur, navicula ſtudiorum videtur ſubmergi, dum nullis mediis inſtructus eſt, nemo enim hodiè ferè eſt, qui literas promotum it. Tandem Chriſtus accedit, & capientem homines eum conſtituit, h. e. in Miniſterium verbi eum vocat, dignis donis inſtruit, ut Eccleſiæ ſuæ magnam utilitatem adferat, ſicut in Auguſtino, Luthero, aliisque exempla proſtant. Quis imperat regionibus & hominibus? Quærit Lutherus: Et reſpondet ſibi ipſi: Pauperum filii. Erigit enim Deus de pulvere inopem, & de ſtercore exaltat pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui, Pſal. 113. v. 7.

Maximè verò hoc, Noli timere, omnes Chriſtiani ſibi applicent; Siquidem & illis dictum eſt: Quod vobis dico, omnibus dico, Marc. 13. v. ult.

Petrus meticuloſus erat ratione peccatorum commiſſorum: at Chriſtus erigit ipſum, inquiens: Ne metuas. Sic adhuc hodiè neminem in peccatis perire vult, unde vocatur Jeſus, Matth. 1. v. 21.

Noli itaque animum deſpondere, Jeſus amavit animam tuam, ut non pereas, Eſa. 38. v. 17. id quod & porrò facturus eſt, non morieris in peccatis tuis, quæ ſanguine ſuo expiavit, ſed vives, vives inquam, ut repetitò ait, Ezech. 16. v. 6. Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, ut ſicut peccatum regnavit in mortem; ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, Rom. 5. v. ult.

De Tertio.

RESTAT *Cautela*, quæ tribus abſolvitur Regulis, quarum

1. *Zelum populi imitare.* Id fecit turba in Evangelio, de quâ Evangeliſta: Factum eſt, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei. In Gr. eſt vox ἐπικεῖσθαι, quâ innuitur, quod ita turba Chriſto incubuerit, ut non habuerit locum in littore ſubſiſtendi.

In V. T. quoque præclari Præcones & θαυματουργοὶ fuerunt, quos Deus aliquoties excitavit: non verò legimus, turbas in eas irruiſſe, ad conciones eorum audiendas, ut Evangeliſta hîc de Servatore memorat. Quæ vero cauſa? Erat ipſe Doctor

eruditæ linguæ, Eſa.50.v.4. in cujus labiis gratia diffuſa, Pſ.45.v.3. habebatque verba vitæ æternæ, Joh.6.v.69.

Quando veteres vim eloquentiæ depingere voluerunt, in peculiari picturâ ſenem propoſuerunt, multa turba circumdatum, è cujus ore multæ catenulæ prominuerunt, quæ auditorum aures attigerunt, quibus illos ſine reſiſtentia perduxerit, quò voluerit, ut eum ſequi coacti fuerint.

Hoc commodè ad Chriſtum applicari poteſt, qui ſanè homines ad ſe pellexit, quaſi catenis conſtricti eſſent, hinc cum Pontifices & Phariſæi miniſtros ſuos ablegaſſent, ut Chriſtum apprehenderent, re infectâ redierunt. Et quærentibus illis: quare non adduxerint eum? reſponderunt Miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hîc homo loquitur, Joh.7.v.46.

Atqui adhuc hodiè prædicat, præbetq; ſe audiendum labiis electis, Zeph.3.v.9. per Miniſtros & Præcones ſuos, qui verbum ejus annunciant in Eccleſia in his terris, unde etiam Miniſtri Chriſti, 1.Cor.4.v.1. & pro Chriſto legationem fungentes dicuntur, 2.Cor.5.v.20. qui ipſos audit, Chriſtum audit, Luc.10.v.16. Quî fit igitur, ut adeò ſomnolenti ſimus, nec tanto zelo ad cultum Dei properemus? Sanè idem nobis evenit, quod vaccis, quæ bona paſcua depaſcentes, reliquias paſcuarum conculcant pedibus, Ezech.34.v.18.

Olim cum deſiderio ad ædem Domini accelerarunt, jam majori deſiderio ad abitum ſeſe parant, hinc non dubium, quin certiſſima Dei pœna ſecutura ſit, eaque eò gravior, quò major verbi contemtus eſt. Vocavi & renuiſtis, Proverb.1.verſ.24. ſeqq.

II. *Omnia cum Chriſto auſpicare.* Tale exemplum habemus in Petro. Licet enim per totam noctem laboraſſet incaſſum, attamen propterea non abjicit animum, ſed colligit ſe dicens: In verbo tuo laxabo rete.

Idem & nos faciamus: Non enim homo poteſt accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, Joh.3.v.27. Et licet Paulus plantet, Apollo riget, tamen omnia fruſtranea ſunt, niſi det incrementum Deus, 1.Cor.3.v.6.

Hoc verum deprehenditur

1. *In Corporalibus*, quæ ad corporis ſuſtentationem & indigentiam pertinent, ut ſunt cibus, potus, veſtimenta &c. Homo enim non minimum gramen è terra producere valet, ſed hoc omnipotentiæ divinæ eſt, qui vocat non modò ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, Rom.4.v.17. ſed etiam cuilibet ſeminum proprium corpus dat, ut vult, 1.Cor.15.v.28. & quando ipſe cœlos exaudit, cœli exaudiunt terram, terra exaudit triticum, vinum & oleum, & hæc exaudiunt Jeſrael, h.e. nos filios gratiæ ejus, Oſ.2.v.22. ut vinum lætificet cor hominis; nitidam faciat faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet, Pſal. 104. v. 15.

2. *In Spiritualibus.* Hîc iterum nihil ex nobis ipſis præſtare poſſumus, ſed Spiritus ſanctus operatur in nobis & velle & perficere, Phil.2.v.13. ſupremus enim Director eſt omnium cogitationum, verborum & operum noſtrorum, & ſine ipſo nihil facere poſſumus, Joh.15.v.10. Siquidem omne figmentum cogitationum cordis noſtri tantummodò malum eſt, omnibus diebus, Gen.6.v.5. in carne noſtra nihil boni habitat,

bitat, Rom. 7. v. 18. quin & in peccatis mortui ſumus, Eph. 2. v. 4. Sicut igitur homo defunctus ſeipſum reſuſcitare nequit, ad vitam hanc terrenam: ſic multò minus homo in ſpiritualibus ad converſionem ſuam quicquam conferre poteſt, ut rectè cum Jeremiâ oremus: Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus, Jer. 31. v. 18.

Nemo proindè in arte, robore, ſapientia & eruditione ſuâ confidat, ut fortaſſis Petrus fecit, qui quia peritum ſe piſcatorem cenſuit, de felici ſucceſſu minus deſperavit: & nihil tamen cepit; Non enim velocium eſt curſus, Eccleſ. 9. v. 11.

Es igitur *Concionator*, ſuggeſtum adſcenſurus, ora: In verbo tuo laxabo rete Domine: ſic labor tuus non inanis erit in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. Eſa. 55. v. 10. & ſeqq.

Si *Magiſtratus officio fungeris*, curiam aditurus ſimiliter ora: Domine in verbo tuo laxabo rete: ſic tibi Deus Spiritum ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritum conſilii & fortitudinis largietur, Eſa. 11. v. 2. ut omnia proſperè geras: & ſubditi ſub tutelâ tua quietam & tranquillam vitam agant, in omni pietate & honeſtate, 1. Tim. 2. v. 2.

Si *Mechanicus*, & ipſe operas tuas incepturus ora: In verbo tuo laxabo rete, & benedictio largiſſima ſequetur te. Nam omnia ſanctificantur per verbum Dei, & orationem, 1. Tim. 4. v. 5.

Et ut paucis abſolvam, quilibet cum D. Bernhardo oret: *O Domine, hæc ſit mea prima cura, ut te quæram mente pura*, Pſalm. 127. v. 1.

III. *Socius ſocio opitulare*. Inter Petrum & ſocios ejus promtum obſequium cernimus. Ubi enim tàm largâ beatus eſt capturâ, ut minimè par ſit, ad rete in navim ſolus pertrahendum: ecce, annuit ſociis, qui erant in aliâ navi, qui propediem adſunt, & adjuvant Petrum, ut benedictionem Dei in portum perferre, & ad uſum ſuum accommodare poſſit.

Diſcamus ab eo, ut & nos neceſſitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. hoc caritas Chriſtiana requirit, quæ non in verbis ſaltem, ſed & in operibus ſe exerat, 1. Joh. 3. v. 18. Jac. 2. v. 15. Ideò fideliter inſerviamus proximo, maximè tempore neceſſitatis, ubi ope noſtra indiget, Sir. 42. v. 23. *Nihil enim tàm probat amicum, quam onera amici portare*, ut Auguſtinus ait. Et Ambroſius: *Nihil tàm ſecundum naturam, quàm juvare conſortem naturæ.* Non enim ſaltem ſocii ſumus, velificantes in impetuoſo hujus mundi mari, ubi eandem paſſionem ſuſtinemus, 1. Petr. 5. v. 9. ſed ſumus quoque fratres & ſorores, qui unum in cœlis Patrem habemus, unus enim Deus creavit nos omnes, Mal. 2. v. 10. Deindè & omnes unam habemus matrem, ex qua orimur, Eva enim eſt mater cunctorum viventium, Gen. 3. v. 20. & eandem matrem quæ poſt mortem nos in ſinum ſuum recipit nempè terram, quæ mater omnium eſt, Sir 40. v. 1. Tandem & eandem hæreditatem expectamus, nempè incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis, 1. Petr. 1. v. 5.

Promtè igitur nobis invicem, tanquam fratribus & ſororibus inſerviamus. Hic Petrus annuit modò, & ſocii ejus appropera nt ad juvandum, Idem rarò hodie fieri videmus: refriguit enim caritas multorū.

Matth.

Matth. 24. v. 13. Quilibet ſibi velificat, nihil paſſurus ſuper contritione Joſeph, Amos 6. v. 6. Quodſi fortè cui manus porrigitur, id ſubindè ei exprobratur: Verùm idipſum improbatur à Siracide, cap. 20. v. 13. ſeqq. & cap. 42. v. 27. Agnoſcamus potius, nos pro virili proximo ad ſerviendum obſtrictos eſſe: & hoc debitum nullis beneficiis, quantacunque ſint, compenſari poſſe. Hoc qui rectè ſecum perpendit exprobrationis iniquæ facilè obliviſcetur. Cum enim feceritis omnia, inquit Chriſtus, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Hîc finem facimus, Deo ſit laus & gloria in æternum,

Amen!

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 5. v. 20 -- 27.

EXORDIUM.

De Meſſiâ prædictum eſt: Ipſe erit quaſi ignis conflans, & quaſi ſapo fullonum: & ſedebit conſtans & emundans argentum, Mal. 3. v. 2. 3.

In hoc vaticinio *officium Meſſiæ* haud inconcinnè nobis depingitur,

1. *Sub imagine fabrorum.* Ipſe quaſi ignis conflans. Sicut igitur aurifaber ignem adhibet, quo aurum & argentum purgat, ut à ſcoriis ſeparetur, ita & Servator duplici igne utitur, quando filios Levi, h. e. populum ſuum peculiarem purgaturus eſt: Primò *ignem lucis:* nunquid non verba mea ſunt, quaſi ignis, dicit Dominus, Jer. 23. v. 29. Utique quaſi ignis, conſumens ligna, fœnum & ſtipulas, h. e. inventa hominum, quando illa Eccleſiæ obtrudi volunt. Deindè *ignem crucis,* quando fideles ſuos in furno afflictionis excoquit, ut electos eos faciat, Eſa. 48. v. 10. & fidem eorum probat, ut multò pretioſior ſit auro, quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. v. 7.

2. *Sub imagine lotorum:* erit enim ut ſapo fullonum. Lutherus expreſſit: wie die Seiffe der Wäſcherin. Sicut igitur lotrices ſaponem & alia media habent, quibus linteum mundant, & maculas eluunt: Ita & Chriſtus ſapone verbi ſui, Phariſaicas traditiones, quibus legem depravarant & maculaverant, iterum eluit & purgavit, ut jam ſciamus, non ſufficere obedientiam externam, ſed cor cum omnibus interioribus affectibus & concupiſcentiis purgandum eſſe, ſi legi Dei ſatisfieri debeat. Hoc in noſtris naturalibus viribus non conſiſtit, ideò de alia juſtitia circumſpiciamus, quam Chriſtus nobis acquiſivit, qui eſt finis legis, ad juſtitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Hoc ipſum inculcat in prælecta Pericope, ad diſcipulos ſuos inquiens: Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum